



*Act. 15.*

3

VARIAE  
IVRIS CIVILIS  
OBSERVATIONES

---

ILL. ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

P R A E S I D E

IOH. THEOPHILO SEGERO  
IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE  
TITVLORVM DE V. S. ET R. I. ANTECESSORE  
ORDINARIO COLLEGII ICTORVM  
SODALI

A. D. XVIII. DEC. AN. MDCCCLXVII

H. L. Q. C  
DEFENDET

IAC. GVLIELMVS CONSTANTIN. ZIEGRA  
HOHENSTEINA - MISNICVS

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA

3.



PERILLVSTRI  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
PETRO HOHENTHALIO  
S. R. I. LIBERO BARONI  
DYNASTAE FALCOBERGAE COSSAE  
ET SMERCODORPII  
SERENISSIMI DVCIS SAXONVM ELECTORIS  
SENATVS ECCLESIASTICI ET COMMERCIORVM  
DIRIGENDORVM COLLEGII  
PRAESIDI VICARIO  
DE RE SACRA ET CIVILI IMMORTALITER  
MERITO

PATRONO DEVOTE COLENDO



PERILLVATRI  
EXCELENTISSIMO  
DOMINO  
PETRO HONORI  
S. I. BARONI  
EX LIBRIS JACOBUS RODOLPHUS  
TRIUMPHODORI  
GERMANIAE, ET SAXONIAE  
SENATORIS DUDALIAE ET SOROREM  
HINCABDURAM CERTAM  
PRAESES IN CIVITATE  
TITULI  
CIRCA 1700

PERILLVATRI  
EXCELENTISSIMO  
DOMINO  
PETRO HONORI  
S. I. BARONI  
EX LIBRIS JACOBUS RODOLPHUS  
TRIUMPHODORI  
GERMANIAE, ET SAXONIAE  
SENATORIS DUDALIAE ET SOROREM  
HINCABDURAM CERTAM  
PRAESES IN CIVITATE  
TITULI  
CIRCA 1700

P E R I L L V S T R I S  
A T Q V E  
E X C E L L E N T I S S I M E D O M I N E  
P A T R O N E O M N I P I E T A T I S C V L T V  
D E V E N E R A N D E

**G**uius potissimum tutelae traderem hunc  
libellum, quem more academico edo  
in publicum, non multae dubitandi deli-  
berandique caussae fuerunt, cum *TVA*, quibus me  
intime affectum sentio, beneficia erga hominem nul-  
la alia re, nisi liberalium studiorum contentione.

et paupertate sua **TIBI** commendatum tot ac tan-  
ta fuerunt, vt Patrocinium **TVVM** ab eo inde  
tempore, quo **TIBI** innotui, in maximis diuini-  
tus concessis muneribus venerarer. **Patere** igitur,  
**DOMINE**, vt hac sola forte occasione, qua  
possim, **TVVM** me clientem, quem beneficiis ma-  
ximis **TIBI** deuinixeris, publice profitear, at-  
que in ea re animo meo obtemperem, qui gratias  
**TIBI** debitas non potest tacitis amplius recessibus  
continere. *Hoc vero in primis tempore nihil optabilius*  
est, quam vt perpetua in posterum salute gaudeat  
**ILLVSTRISSIMA TVA DOMVS.** Vereor re-  
fricare vulnus diuina potentia **TIBI** inflatum et

ingen-

ingentem luctus domestici, quin minus domestici,  
quam quem totus bonorum omnium litteratorum  
que orbis TE cum communem habet, caussam com-  
memorare. Sed TV quidem PATRONE  
OPTIME, quae est animi TVI fortitudo ac  
pietas, acquiescens in voluntatis diuinae decre-  
to hunc etiam dolorem tot tantisque de causis ma-  
ximum veneratione Numinis superabis. Deus au-  
tem, quem deuotis id rogo obtestorque precibus, vt  
desideratissimae matris imagines, quos rarae vir-  
tutis Coniux TIBI reliquit liberos, diutissime  
illi supersint, et in spem magni Parentis Patriae-  
que emolumentum succrescant, TV vero et SPLEN-

DIDIS

DIDISSIMAE FAMILIAE et sacrae ac civili  
rei, in primis etiam litteris, ad quas ornandas promo-  
uendasque natus et factus es, ad seros usque annos  
salvus atque incoluis praesis, efficiat.

PERILLVSTRIS  
AT QVE  
EXCELLENTISSIME DOMINE  
PATRONE SVMMOPERE COLENDE

ILLVSTRISSIMI TVI NOMINIS

Lipsiae

d. XIII. Decembr.

MDCCCLXVII

CVLTOR DEVOTVS

DIDIS IACOBVS GVILIELMVS CONSTANTINVS ZIEGRA

qui pour plusieurs d'entre eux, leur liberté fut une question de survie. Les deux dernières années ont été marquées par une augmentation importante du nombre de réfugiés syriens dans les pays voisins, principalement la Jordanie et le Liban. Ces réfugiés sont arrivés dans ces pays en raison des combats entre les forces gouvernementales et les groupes rebelle

PRO IVRE HONORARIO AC QVI-  
BVSDAM PRAETORVM EDICTIS



**F**ortiter enim reiecta est a RICHEIO RIT-  
TERO ET BACHIO HEINECCI de ma-  
gistratibus Romanis sententia, quos hic in  
edicendo acceptae potestatis limites exces-  
sisse statuit. At vereor, ut ab omnibus vi-  
rorum doctissimorum ratio satis intellegatur, et ipsi etiam  
omnium edictorum caussas eadem felicitate diuinauerint. Au-  
dio conquerentes aduersarios de mutato disputationis argu-

310

A

men-

## II

mento, cum se dicant iniuriam, qua magistratus hanc, saluberri-  
ma quamvis, iura edicendi facultatem sibi sumserint, accusasse,  
B A C H I V M autem et caeteros iuris honorarii patronos ipsam  
edictorum aequitatem, quam nec H E I N E C C I V S esset insi-  
ciatus, defendere. Sed haec falsa criminatio sola librorum  
partis nostrae ostensione refelli potest. Nos tamen, vt videant  
aduersae opinionis asseclae, vnde totam edicendi potestatem,  
qua boni Praetores vni sunt, repetamus, cum eam omnem  
tribus verbis adiuuandi, supplendi, corrigendi que iuris absolu-  
ti concedant, eius quidem rei caussa Praetorem tanquam sum-  
mum iuris dicundi magistratum constitui naturaliter oportuisse  
contendimus. Quis enim erit tam ineptus, vt velit verba  
sectari, ratione legis intellecta et deserta? Aut quis populum  
Romanum ita infamisse existimet, vt magistratus iuris dicundo  
praepositos vocabula legum obseruare voluerit, non vim earum  
ac potestatem? Quod igitur illi caussantur, sciscendi iuris ma-  
iestatem penes Populum Romanum fuisse, nec potuisse Sena-  
tum, nisi de certis caussis eius curae speciatim demandatis sta-  
tuere, id quidem inter omnes constat, nec a nostratis vo-  
catur in dubium; sed bonum vnquam Praetorem aut alium  
iuris dicundi magistratum quempiam, si a tribunis prebis disceferis,  
noua iura edixisse negamus. Quae res exemplis agenda  
est, quibus etiam aduersarii abutuntur, in quorum nos consi-  
deratione ita versabimur, vt et id teneamus, quod ostende-  
runt ante nos alii, Praetorem mores populi edicto suo consti-  
tuisse, et de quibus rebus nihil sancitum haberetur aut more

21001

aut

aut lege, in iis naturalem rationem esse secutum, quod extre-  
mum genus opinamur ab utraque secta laudari: et nouas pae-  
ter ea edictorum quorundam rationes repetamus e talibus Ro-  
manorum moribus, quales satis commemoratos ab antecessori-  
bus nostris legere non recordor.

Per leges Valerias, Porcias et Sempronias nulli posthac  
magistratui licuit ciuem Romanum verberare, aut de capite ci-  
uis Romani iniussu populi Romani iudicare. Quid tum fieri  
de legibus duodecim tabularum debuit, quas a Praetoribus ne-  
glectas esse tantopere indignantur aduersari? veluti de illa de-  
furo, in quo fur deprehensus, aut quod lance licioque conce-  
ptum esset, similibus que omnibus, quae verbera, feruitatem aut  
necem minabantur reis delictorum eius modi, quorum quaesi-  
tionem populus omittebat? Quid volunt hodie statuere magi-  
stratum aut iudices, quam sententiam dicere, vbi aut nulla poe-  
na in sceleratos proposita, aut talis, quale sumere nouissimo  
iure nefas habeatur? Delicta certis legum poenis inulta nos  
quidem extra ordinem coercemus, similia Praetorum Romano-  
rum arbitria reprehendimus. Quamquam mihi etiam non ve-  
ro simile est, Praetorem nouas poenas vnicce pro arbitrio sta-  
tuisse. Hanc enim virtutem fuisse legis Aebutiae non admodum  
dubito, atque in ea coniectura ipse GELLII locus XVI. 10.  
quem eius unum fundum esse recte notauit BACHIVS, aduer-  
sus SICCAMA E ratiunculas *de iudic. Centumuir. I. 8.* me con-  
firmat.

Viginti quinque assuum multa aetate Decemuirorum longe grauissima non longo tempore post legem de iniuriis latam publico derisui exponebat. Maior tum aeris copia poposcit poenae augmentum, nisi rationem legis deferere vellent magistratus, atque inconsulte vocabulis inhaerere. Oportuit talionem respici, tantique aestimari iniurias, quanti essent a Decemuiris habitae, cuius aestimationis vera ratio in tam diuersis ciuium Romanorum patrimonii cum in vniuersum iniri non posset, in singulis, qui alterum contumelia affecissent, inuenta est, constituta aeris summa, ultra quam lacesitus non iurare aestimandae iniuriae caussa cogeretur. Solet etiam Praetorum licentia in praetereundis legibus foenebris accusari. Sed id neque pertinet ad ipsorum edicta perpetua, quibus nihil anni iuris ea de re proposuerunt: neque idoneis argumentis ostendi potest, nullum bonum praetorem ex usurariis cautionibus contra eas leges iudicia reddidisse. Hoc vnum liquet ex APPIANO *Bell. Cimil.* Lib. I. usuram consuetudine confirmata atque usuras e moribus esse exactas, quod non eam vna habet, ut credamus etiam magistratus ex iisdem moribus ius dixisse, sed ut ita priuatum transacta creditorum negotia iudicemus.

Maior de bonorum possessionibus dubitatio. Primum vero constat ipsius CICERONIS testimonio, *Verr.* I. 41. rationem legis Voconiae non a Praetoribus sed magis a iureconsultis euersam esse et publico sensim more imminutam. Quam ob rem etiam hoc fateri debemus, nihil magistratus mulieribus tutela-

tutelarum atque hereditatum causa contra ius publicum indulisse. Postea quam erant mulieres ius successionis adeptae, an potuit, quaeſo, Praetor ſalua iuriſ ciuilis ratione cognatis bonorum poſſeſſionem denegare? Fallor, niſi hoc foret leges, quorum fauore latae ſunt, in illorum odium retorquere. Iure duodecim tabularum nulla cum fratribus foror partiebatur paternam hereditatem, ſed alimentis contenta, aut dote inſtar alimenterum ad maritum perlata, exibat. Quo tempore improbum fuifſet repoſcere nepotum ex fororibus bona, quorum aut nulla pars aut certe aspernabilis a materna origine proueniffet. Quod euersa legi Voconiae ratione ut mens legum ciuilium iurisdiſtione moribus apta obſeruaretur, neceſſario fecus fieri oportuit. Nec dubito, quin tum demum cognatis bonorum poſſeſſio data ſit, ſi agnati non eſſent, quod circa Ciceronis tempora, quibus gentilitiae hereditates omnino in deſuetudinem abierunt, aut vltimarum maxime tabularum iure, aut moribus etiam ſine teſtamento obtinuit, ut filii nepotesque ex maribus praecipuam paternae auitae que hereditatis partem nanciſcerentur. Sane ſi eam iuriſ aequitatē cufodiuiuſſent Imperatores, cuius diutifſime obſeruatio priſtinam populi Romani libertatem firmauerat, ex quo mulieres patrum fratrū que in teſtatorum bona eum fratribus ſine vlla deduictione partiri cooperant, debuifſet statim edici, quod feris legibus conſtitutum eſt, ut nullum amplius agnatorum cognatorumque ha-beretur diſcrimen.

Praetereo reliqua de bonorum possessionibus edicta, quorum proxime vberiorem historiam et tempora, quibus quoque propositum est, enarrabo. Liceat saltem eius, quam emancipatis dederunt, veriores huc usque redditis rationes atque origines indicare. Diuturno vsu obtinuisse, vt emancipati bonorum paternorum possessionem aequitate suorum heredum consequerentur, quae B A C H I I caeterorum que virorum eruditorum sententia est, ego non autumo. Quicquid enim afferat B A C H I V S Hist. Iurispr. Rom. L. II. Cap. II. S. III. §. 12. fuisse antiquioribus temporibus ciues Romanos ipsos aequitatis sua sponte amantissimos, cum luxus ac vitia ciuitatem nondum corrupissent, vereor tamen, vt multis humanissimam suam opinionem persuadeat, nec maior cupidorum numerus, quam voluntaria aequitatis obseruatio, in prisco etiam populo Quirium apparuisse iudicetur. Fata, velim, non ademissa spem a C L. s T O S C H I O factam locorum N. T. e iuris Romani antiquitatibus explicandorum. Forte notatus fuisse vir doctissimus in verbis Seruatoris apud Lucam XV, 12. Πάτερ, δός μοι τὸ επιβάλλον μέρος τῆς ὀυσίας: morem non vni populo proprium, sed plerisque olim gentibus communem veteres etiam Romanos coluisse, vt, quos emanciparent, liberos, nisi animus esset in eos grauiter animaduertere, cum iusta facultatum parte e communi domo dimitterent. Quem ad modum autem mediae iuris prudentiae temporibus interdum euenit, vt contra pietatis officium patres vel suos liberos ab hereditate excluderent, ita etiam emancipatis malum a Decemuiris

non

non praeuisum accidit, ipsi que modo iniuria sine ullis pateris opibus e domo magis expulsi, quam missi, modo cum tam exigua rerum adhuc communium parte exire iussi, ut pro paternis diuitiis nihil accepisse viderentur. Accessit hominum spes vitae, quam fata concedebant, longioris, et condendi ante mortem testamenti, quo suis atque emancipatis liberis aequabile ius reddere constituerant, sed prius, quam voluntatem ore nuncupabant, saepissime rebus humanis eripiebantur. Id iniquitatis non patiebatur iuris decemuiralis ratio, cuius intelligentissimi Praetores, quibus non aequa portio e paternis bonis obtigisset, his edicto, unde liberi naturales emancipati, opem tulerunt, et ne minima parte iam accepta aut reliquae hereditatis cogerentur exfortes esse, aut data bonorum possestio suos defuncti liberos grauaret, cautionem collationis adhibuerunt.

Video in exceptionibus maxime et restitutionibus in integrum occupari aduersariam disputationem. Quas cum aliqui scribant, nec e iure naturali nec e ciuili esse, sed vnicce a Praetore eludendarum legum causa concessas, facile esset contradicere, et naturalem omnium rationem firmissimis ratiociniis demonstrare. Sed nunc quidem vnius commemoratione defungar, quae maximas in vtraque schola diuini atque humani iuris peritorum controuersias peperit. Si quod vi metus ve causa negotium gestum esse dicatur, praetor dat exceptionem metus, immo etiam in integrum eos restituit, qui obligacionem isto modo contractam rei promissae praestatione iam dis-

solute-

soluerunt. Evidem GROTIUS, FEVERLINI et GOTHO-  
 SREDI MASCOVII opinionem amplector, ratus natura veram  
 esse obligationem vis metus ve quamvis incuria incussa su-  
 sceptam. Quid enim statuatur de gentium liberarum transactioni-  
 bus, quid de sanctionibus pacis perpetuae, si metus et armorum  
 exceptio locum habeat? Lex obliuionis, quam vocant, vni cuique  
 transactioni naturaliter inest, et omni posthac illatarum ante  
 iniuriarum mentioni vltioni que praescribitur. At est etiam ali-  
 qua catholica omnium ciuitatum lex, vt inde exulet omnis vis  
 priuata, nisi in eum statum incidamus, vbi irreparabili damno  
 auxilium magistratus tempestive occurrere nequeat. Quam  
 legem adeo perfectam esse ex ipsa ciuitatum natura intelligimus,  
 vt quicquid iniusta ciuibus tuis eripueris vi, non ad te, sed ad  
 ipsos pertineat, atque omne negotium eo modo contractum  
 habeatur ipso iure ciuili vniuersali nullum. Idem hoc volue-  
 rant legum ferendarum decemuiri, sed excogitatis stipulatio-  
 num formulis bonaे que fidei et stricti juris negotiorum discri-  
 minibus, quas actas Decemuirum aequae ac Numae ignorauer-  
 at, Praetor autem reuerentia moris publici, secutus id quod  
 partibus placuisse, respiciebat, nata est noua iudicibus diffi-  
 cultas, vt interdum pronunciadum esset e formula ius appa-  
 rentur iustum, reipse rationi et aequitati repugnans. Quid igitur  
 volunt aduersarii? Praetori potiora esse iure consultorum  
 inuenta, quam leges populi Romani iubent? Satis moribus  
 et voluntati contrahentium obtemperabant, qui pactis verbis  
 iudices, quoad hoc iuris publici ratio patiebatur, adstrin-  
<sup>spicere</sup> gebant.

gebant. Non debebat nec poterat tanta commenticii iuris vis esse atque auctoritas, ut aut vinceret rationem aut legem. Num caetera quoque iuris honorarii capita; neque enim animus est, aut de praetorum, aut de aliorum iuris dicundi magistratum edictis in praesenti plura commemorare; magis formularum captionibus occurrant, quam cum ipsis Populi Romani legibus pugnant, iudicet ipsa HEINECCI secta et optimos aequissimi iuris custodes seruatoresque usurpatae iniuria maiestatis damnam definat!

## II.

## CENSORIA AEQUITATIS CVRA

Perispicia sunt verba VARRONIS: *Praetorium quidem ius ad leges, Censorium autem iudicium ad aequum aestimari de L. Lat. V. p. m. 56.* Quorum tamen sensum et vim quidam non recte percipiunt. Nuper etiam ea vir doctissimus, quantumvis elegante oratione, ita exposuit, ut contra animi sui sententiam vtrumque magistratum suo loco mouisse et mutantam ipsi personam imposuisse cum toto alterius munere videretur. Res sic habet. Praetores tanquam iuri dicundo praefecti debebant aequabile quidem omnibus ius reddere, sed tamen ius. Nempe in ipsisorum potestate non erat, ad ea, quae magis humanitatis, quam necessitatis sunt, officia cogere quempiam, atque ex obligationibus minus quam perfectis iurisdictione sua perfectas efficere. Certe si quid nullo iure naturali cogente vel praestandum vel intermittendum impera-

B

bant

bant aut vetabant, id iuri diuino adiectum esse detractumue  
communibus populi placitis et legum ciuilium rationibus  
oportebat. Quicquid vero ciuium voluntati atque arbitrio  
esset permisum, in quo facto omissione virtus cuiusque hone-  
stasque cerni deberet, cum animorum probitas vnicce ex actio-  
nibus voluntariis elucebat, id omne extra legis poenam erat  
et citra magistratum iuris dicundi imperia. At promouen-  
dae virtutis caussa, et scelerum, quae nullus vltor gladius perse-  
queretur, publico saltem dedecori exponendorum, prudenti-  
fimo consilio instituta Censura. Qui igitur improbe animad-  
uertisset in seruos, in liberos, in vxorem, qui in bestias aut  
nullius aut suas faeuisset, qui agrum suum vel arborem vineam ve  
indiligerenter curasset, fecissetue aliquid superflui sumtus in conui-  
uiis, vestibus, supellecstile atque omni domestico apparatu, hunc  
etsi praetor dicebat fecisse pro sua libertate, tamen cum Censores  
aerarium faciebant. G E L L I V S IIII. 12. Quod si satis  
obseruasent hodierni iure consulti, non tanta foret patriam  
et dominicam potestatem, qua magistratus domesticus apud  
Romanos valuit, iniuria reprehendentium multitudo. Neque  
enim illa humanius quicquam fanciri a Romulo rege potuit,  
cum patres existimandi sint lenissime de suis liberis iudicaturi,  
neque huius arctiores limites pati antiqua gentis libertas, ne-  
que facile euenire, vt magna ciuium pars, in tanta publicarum  
laudum aemulatione et cupiditate honorum, vtriusque iure ab-  
uteretur. Censorum autem per omnia liberae reipublicae  
tempora maxima in notando auctoritas, pari seueritate ac re-  
ligione

ligione, emicuit. Nam et amplissimis et probatissimae tantum virtutis viris illa potestas obtigit, et ad leges vnicē obserandas reddendasque muneras rationes non ita, vt caeteri magistratus, fuerunt adstricti. DIONYS. HALICARN. in *Excerpt. Antiq. Roman.* adiectionis p. m. 748. De instituti vtilitate THOMASIVS MONTECVSIVS atque alii post IVSTVM LIPSIUM satis egerunt: de notis Censoriis admodum pauci. Videntur commodam diuisionem recipere in legitimas, arbitrarias et communes, quarum quidem illae, quas legitimas vocamus, perpetuis legibus Censoriis aut aliis populi Romani ordinationibus certam aliquam formam modum que habuere, veluti multae e legibus quibusdam sumtuariis petiae; arbitriarum aestimatio ipsa que caussarum, ob quas improbis eas infligere vellent, arbitria Censoribus sine formulis commissa, qua ratione videntur certe ante Clodianam legem, adeo Senatu mouisse: denique communes existimarem, quibus alii e legibus ordinariis, alii nulla lege eam ob rem proposita solo Censorum iudicio sunt affecti, in quem numerum equi admitionem, translationem e tribu rustica in urbanam, similia que exempla retulerim, cum eo quidem tempore, quo equites sumebantur ex censu, legitima equi admendi caussa e constitutionibus rei publicae bonorum dilapidatio, nec quibus quisque conditionibus ad tribum vel rusticam vel urbanam adspirate deberet, legibus non ordinatum esset, nihilo tamen minus Censores possent etiam equitem opulentum aut ciuem rusticae tribus per leges non incapacem aliis de caussis grauibus in locum inferiorem detrudere. Vtrum vero illo

## XII

casu, quem equestri ordine indignum iudicabant, eum etiam opum aliqua parte, ut posthac ratio census cum patrimonio conueniret, tanquam necessaria vtriusque poenae coniunctione multauerint, non definio. Id liquet, quemadmodum notandi potestas penes Censores fuit, sic eos praemia quoque distribuisse, cum in vniuersum decoris dedecoris que discrimen, Senatus equitum que centuriae sub ditione eius magistratus essent, Liuius IV, 8. adeo que equites creandi Senatores que legendi iure valerent. Atque ita planum est, quo modo non ad leges, sed vnicce ad virtutem Censorium iudicium aestimari oporteret, sicuti etiam me tacente intelligitur doctissimus ille **V A R R O** eadem iustitiae atque aequitatis discriminia posuisse, quae ab hodiernis philosophis, putantibus eorum nonnullis se primos veri videndi felicitate beatos, constituuntur, qua de re olim ipsem etagi adolescens proposita disputatiuncula *de aequitate naturali.*

## III

### DE SENATVS CONSULTIS ADVERSVS CELEBERRIMVM BACHIVM.

Mirabile est, virum iuris publici Romani tam peritum, quam norunt omnes fuisse IOH. AVGUSTVM BACHIVM, de vi Senatus consultorum ante Tiberium contra omnium veterum auctorum fidem iudicasse. *Hift. Iuris prudent. Rom. Lib. II. Cap. II. Sect. 2.* Senatus consulta, inquit, sine lege facta esse, temporibus rei publicae liberae, de rebus iis, quae Senatus

po-

potestati essent subiectae, in tanta exemplorum ab historicis  
 aliis que scriptoribus commemoratorum copia, nemo est, qui  
 neget aut negare possit. Ipse autem de reliquo etiam iure ci-  
 uili, siue publico, siue priuato, facta esse et quidem eius-  
 modi, quae non ad singulos vel homines vel caussas pertine-  
 rent, sed de vniuerso aliquo genere constituerent, aduersus  
 communem interpretum, quotquot viderit, sententiam often-  
 dere conatur. Evidem nescio, an eadem iam aliis opinio haeferit.  
 Non enim nullos arguissē videtur HENR. LVD OV. MOLINAEVS  
*disp. de origine et fatis iuris Romani.* Sed eam oppido falsam  
 esse certis rationibus confirmabo. Nempe non DIONYSIVM  
 excitamus, qui vim Senatus consultorum faciat tantum annuam,  
 quo in loco qui praesidia sententiae nostrae collocauerint, et si B A-  
 C H I V S contra eos sic disputat, vt tantum non omnes hoc fe-  
 cisse existimes, noui tamen ego celebrium scriptorum vix unum  
 aut duo. Fragile est hoc argumentum, neque de Senatus consul-  
 tis omnibus verum. Vnde nauctus sit amplissimus Ordo hanc  
 facultatem, quaerimus, quam constat initio penes populum,  
 deinde lege Hortensia penes solam etiam plebem fuisse, sed vlla  
 vñquam lege Senatu Romano tributam nec libri, nec numi,  
 nec lapides indicant. Ille necessitatē cauſatur, quae, cum  
 difficultima esset legum in comitiis seſcendarum ratio, multis  
 que impedimentis obnoxia, interdum a Senatu exegisset, vt  
 rei publicae prouideret, ius que constitueret. Non opus erat  
 auctoritate Pomponii nec Theophili ad hanc nobis sententiam  
 persuadendam. Prouidere Senatum et Consules debuisse, ne

## XIIII

quid detrimenti caperet res publica, vtro fatemur. Nonne vero sensit B A C H I V S, hoc ad extraordinaria iussa, neutiquam ad ius perpetuum statuendum pertinuisse? Senatus consulta vetera legibus abrogata reperit. Quo quidem satis approbatur, ea non in vniuersum fuisse annua, sed nihil amplius eo exemplo, quod e PLINII *Hist. Nat.* VIII, 7. de bestiis Africanis allatum est, nisi hoc etiam viro doctissimo valde aduersum efficitur, potuisse Populum Romanum vel ea Senatus consulta, quibus de rebus suae potestati subiectis Ordo constitueret, pro plenitudine imperii abrogare. Firmissimum argumentum ex classico CICERONIS loco *Top.* V. deducum esse videtur, vbi pars iuris ciuilis dicitur in Senatus consultis consistere. Verum recordari debebat B A C H I V S, quod initio disputationis erat professus, de facultate Senatus statuendi etiam sine lege de rebus suae curae vnicce demandatis neminem dubitasse, aut dubitare potuisse. Quomodo igitur T V L L I V S Senatus consulta non ponat in partibus iuris ciuilis? Si qua tandem ante Tiberium Senatus consulta de aliis causis fieri curauit Augustus, cum eo imperatore vana tantum libertatis umbra superesset, facile intelligitur, eum ea iura in publicum edixisse, suo que ipsis nomine addidisse auctoritatem, praesertim cum praeparandus esset populus ad comitia in curiam transferenda, quod de consilio Maecenatis, tanquam ex legato, post mortem et illius et Augusti Tiberium fecisse probabile est.

Tandem B A C H I V S rem exemplis conficere aggreditur, quorum maxima futura esset auctoritas, modo id argumentum,

in

in quo vir doctissimus elaborat, commemorata ab eo Senatus consulta continerent. Strictim ea singula enarrabimus. Sed ut satis intelligamur, monendum est, docente ipso B A C H I O Lib. II. Cap. I. Sect. I. §. 12. in manu Senatus suisse aerarium, animaduersiōnē criminum in Italia admissorum, controversialium grauiorū diiudicationem, legatorum mittendorum audiendorum quē potestatem, rem militarem, pacem, foedera, prouinciarum que distributionem atque ordinationem, in quibus omnibus Senatus statuere per se potuit, nulla lege ad populum lata: praeter ea si quid ex Senatus consilio latum esset ad populum, nec ab hoc approbatum iussum que, aut ne Senatusconsultum fieret, tribuni plebis intercessissent, eam Senatus auctoritatem nihilo interdum secius tacite in morem publicum abiisse, dici que eam ob caussam ab ipsis veteribus aliqua iura Senatus auctoritate non quidem statuta, verum, quo uno verbo B A C H I I ratiuncula retunditur, introducta.

Iam ad quae caussarum genera quodque Senatusconsultum a viro docto laudatum pertineat, nullo etiam monitore apparebit. Illo, quo constitutum est An. c c c x c i v . ne quis in vrbe sepeliretur, Senatus legem duodecim tabularum repetiit, qua in re nulla cernitur iuris ciuilis condendi potestas. Alterum de Bacchanalibus An d L X V I I I . factum tum crima in Italia admissa coercuit, cum rei publicae in subito maximo que periculo versanti extra ordinem prouidit. De Libertinorum tribu inspectio ad Senatum pertinebat ex ordinan-

dae



dae publicae disciplinae rationibus. Senatusconsultum Coss.  
**C. FANNIO ET MESSALA** de sumtibus factum principes ci-  
 uitatis sumtuum minuendorum causa jurare apud Consules  
 iussit. Ne dicam, opus censorium esse, plerique Principes ex  
 Senatu, adeoque ad obseruandam Ordinis legem, tanquam sodales,  
 velut in unoquoque collegio iuris est, cum illa nihil de sanctio-  
 nibus publicis corrupisset, adstricti fuerunt. Aliud Senatuscon-  
 sultum, quo vtitur, de cadaueribus in bello defunctorum sepelien-  
 dis vbi cecidissent, bellicam disciplinam ac prouincias, ideoque  
 causas in manu Senatus positas respexit. Legem, ne homo  
 immolareetur, magis puto ad peregrinos, quam ad ciues, maxi-  
 me autem ad Italiam prouincias que pertinuisse. Neque video,  
 cur in alio Senatusconsulto de prouinciis quaestoriis haereat  
**BACHIVS**, cuius argumentum cum prouinciis ordinandis et  
 Titia lege aequo coniunctum est. Nam omnium prouinciarum  
 magistratibus distribuendarum potestas legibus Sempronia et  
 Cornelia in ditionem Senatus venerat. Par ratione etiam illud,  
 quod legationes liberas annuo tempore circumscriptis, senten-  
 tiam Bachianam haud confirmat. Quod autem de collegiis dissol-  
 uendis Senatus censuit, in eo extra ordinem publicae discipli-  
 nae, quam ipsi commissam fuisse iam diximus, curam gessit,  
 cavit que, ne quid detrimenti caperet res publica. De veteri  
 SCto, ne liceret bestias Africanas in Italiam aduehere, iam di-  
 ximus.

His igitur omnibus exemplis vir doctissimus effecit nihil.  
 Sensit argumentationis infirmitatem, ideoque ad alia conuer-

fus

sus est, quae ius ciuile priuatum proprius attingant, de quo ge-  
 nere maiorem esse dubitationem recte iudicat. En! vetus Se-  
 natuſconsultum, ne de seruis in dominum quaestio haberetur,  
 cum hoc ipso vetustatis elogio TACITVS in rebus TIBERII  
 memorat, et sane iam CICERO NIS tempore in dominum  
 quaeri non potuisse, hic in *Milon.* cap XXII. testatur. Quid  
 nunc de BACHII sententia decernamus? At ipse locus Tul-  
 lianus illi grauiter obstat. Nam TULLIVS id ius, quo in  
 eam rem vtebantur, moribus tribuit; igitur si tum temporis  
 extitit de hac specie Senatusconsultum, non eius, sed consue-  
 tudinis potestatem agnouit. Vnde non inanis coniectura  
 deducitur, Senatum de ea re censuisse in singulari aliqua cau-  
 ſa, ſicut etiam Senatusconsultum in heredes C. VENNONII  
 factum eſt, quod perperam vir doctissimus inter ſuae ſen-  
 tiae argumenta recenſuit: poſtea, cum ſaepius obueniret, ut  
 de ſeruorum in dominos quaefione decernendum eſſet, iudi-  
 ces in Senatu opinione perſtitiflē, eius que auctoritatē diu-  
 turno vſu firmaffe. Nouimus enim, initio omnium grauior-  
 rum cauſarum, in quo genere ſunt inprimis publicae, habita  
 eſſe a Senatu iudicia, ita que, quod publici iuris eſſet, interpre-  
 tationibus eius, singularibus que decretis et ſententiis ſaepiſſi-  
 me conſtitutum. Nec dubito, quin poſtrēmis rei publicae li-

C

berae

## XVIII

berae temporibus iuterum de grauissimis controversiis magistratus ad Senatum retulerint, ne in iure constituendo, nempe in sensu legum aperiendo iudicandoque, praesertim ubi ea res, ut frequentissime accidit, poterat rei publicae detimento esse, a priuatis iudicibus erraretur. Qua ratione Senatusconsultum tempore CICERONIS factum, ut centesimae perpetuo foenore ducerentur, non magis in partibus iuris scripti habeo, quam iureconsultorum responsa. Quin potest ex ipsa centesimae mentione colligi, non eo pertinuisse Senatus voluntatem, ut nouum ius scriberetur, sed ne scriptum foeneratorum columnis deprauaretur. Cum enim ne centesimam quidem permetterent leges, moribus autem ea inualuisset, Senatus saltem prouidit, ne centesimarum usurarum noua centesima penderetur, quae res et in mensis frequentissima erat, et maximi ad salutem publicam momenti. Quanquam non repugnabo, si quis paratum debitorem centesimam soluere, de foenore centesimae, et an in vniuersum usura usurarum locum haberet, putet rem iudicio commisere, tum altercationes iudicium prudentum que ad Senatum delatas et ab eo, quod diximus, constitutum esse. Dicuntur autem ius constituere, qui quod statutum est, repetunt, unde et prudentum auctoritas, et res iudicatae iuris constituti nomine veniunt. G R O N O V.

emend.

Obf:

*Obs. I.* Quō sensu tantum abest, vt negēmus, Senatum  
constituendi potestate gauisum esse, vt potius ipsi tribuamus  
secundum magistratus maximam.

Difficillima obiectio ex D. cap. XXIII. *de liberali causa*  
et cap. III. *Quibus ad libertatem proclamare non licet, nixa*  
*est.* In hoc memorat POMPONIUS Senatus consulta de iis,  
qui venire se passi sunt pretii participandi causa, et tamen in  
illo PAULLVS: *Si usumfructum, inquit, tibi vendidero liberi*  
*hominis, et cesserò, seruum effici eum, dicebat QUINTVS*  
*MVCIVS: sed dominium ita demum fieri meum, si bona fide ven-*  
*didisse; alioquin sine domino fore.* Necesse igitur, vt res  
publica libera eo iure iam sua sit, vnde consequens esse vide-  
tur, quod eius ratio POMPONIO petitur e Senatus consul-  
tis, vt vel QVINTI MVCII vel patrum maiorumue eius  
memoria de capite ciuis Romani legem ad extrema imperii  
tempora tam insignem Senatus statuerit, et cum rei grauissi-  
mum argumentum habeamus, de eius statuendi potestate du-  
bitari non possit. Fateor, nodum solutum videri, si de homine,  
qui militiae subterfugienda vel census causa seruilem perso-  
nam induisset, neque de pretii participandi causa se ven-  
di passo QVINTVM MVCIVM respondisse dicamus. Sed  
his ratiunculis non moueretur BACHIVS, si res cum eo  
-endat

## XX.

viuo esset agenda. Supereft etiam aliquid difficultatis, quod incensi subterfugientesque militiam citra dubium aerario vindicabantur. At salua res est. Etsi non a CLAVDIO, verum ab antiquissimis temporibus venit ius eiusmodi hominis, qui pretii emtionis cauſa venditionem sui procurauerat, in seruitute retinendi, id ipsum tamen primum a senatu propositum esse, nusquam reperies. Illa, de quibus POMPONIVS, Senatus consulta, nisi omnia ad Augustorum orationes, quod vero non absimile est, certe de antiquo iure facta sunt, ut ortae dubitationes repellerentur. Diu ego quaefui, unde regula iuris Romani, ex qua nemo suum corpus vendere potest, deducta sit, cuius etiam de veritate me olim male dubituisse non dissimulo. Qua ciui, non extraneo, venditionem sui corporis interdicit, consentit ea cum iure ciuili vniuersali, sed ipsa tamen comperta est plerarumque gentium moribus repugnare. Nunc vero illam e commenticio iure maxime sub Caesariibus ortam esse tenco. Romanos quidem iureconsultos hoc mouit, quod videbant e nullo pacto inter seruum et hecum actionem nasci, nihilque seruum habere proprii, sed omnia pleno iure ad dominum pertinere, qua de cauſa omnem passionem eius, qui se domino traderet, et optimas quasque sibi conditiones stipularetur, inutilem atque idcirco nullam

habue-

habuerunt. Si quis tamen vellet fructuosam sui ipsius venditionem perficere, videntur interpositionem alterius, qui et sibi stipularetur, et pro seruo olim ex stipulatu agere posset, consuluisse, itaque, si quis sciens neque iniuritus se venundari passus esset, ratum habuisse negotium. Post leges autem **V A L E R I A S** alias que pro libertate ciuium latae, tum qui a patre venditi essent, cum qui, interposita quanquam persona, ab semet ipsis, quod improborum assertorum multitudo non de- erat, conati sunt sine dubio legum publicarum calumnia vim priuatarum paclionum euertere. Atque id ipsum forte non socii tantum, et Latini nominis, sed caeteri etiam peregrini et barbari tentauere. Contra quos respondit **Q V I N T V S M V C I V S**: potest etiam eodem tempore maxime Latinorum aliorum que peregrinorum causa Senatus constituisse. Verum ista exceptio, nisi minor viginti annis se venundari passus esset, neque ex antiquis moribus, neque e veteribus Senatus consultis, sed ex nouis post **T I B E R I V M** factis profecta videtur. Nam et complura Senatus consulta meminit **P O M P O N I V S**, et quomodo e more maiorum haec exceptio ori- ri potuisset, non intelligi potest. Igitur cum in ista restitu- tione in integrum nec respiciantur anni legis Laetoriae, nec ante eam legem minorum restitutions innotuerint, haec

## XXII

omnia argumento sunt, esse sub Caesaribus demum, qui, suum imperium firmaturi, libertatis seruorum cupidissimi erant, hanc replicam, qua se assertores defendere possent, adiectam. Quaectionem igitur, qualem M V C I V S tractauerit, talem coniiciamus. Paterfamilias filium, aut, si maius, Lucius Titius rogatus ab homine libero, vellet eum dicis causa seruum habere, licito que contractu in veram seruitutem abducere, illius usum fructum vendit Sempronio bona fide: etenim volenti iniuria non potest inferri: deinde, quod in homine eo habebat, omni suo iure cedit. Quaeritur, an seruus efficiatur. Respondeat M V C I V S, effectum esse propterea, quod cum non vendidisset inuitum, eo que negotio perfecto dominium eius more maiorum acquisiuisset.

Quae cum ita sint, nullum laudauit exemplum B A C H I V S ad nouam eius sententiam confirmandam idoneum, et nihil, quod ad eam amplectendum inuitet, restat. Sed veniam erroris facile impetrabit ab eruditis tam excellentis doctrinae tantae que virtutis vir, ut de historia iurisprudentiae Romanae vñquam ipso magis meruerit nemo.

HVMA-

HUMANISSIMO DOCTISSIMO QVE  
IAC. GVL. CONSTANTIN. ZIEGRAE

S. P. D

IOH. THEOPH. SEGERVS

*I*nter eos auditores, qui discendi iuris publici caussa me adierunt, vti TE diligentia superare passus es neminem, ita primus etiam suafu meo atque hortatu argumentum disputationis academicae ex eius prudentiae capitibus delegeras, quod a TE Ipsi scite elaboratum in cathedram huius scholae proferres. Hoc etsi deinde consilium, opera scriptio*n*is iam peracta, mutasti, quanti tamen me amares, et quantum disciplinae meae ratio in cæteris quoque artis nostræ partibus fuisse ingenio TVO accommodata, petendo a me obseruatiunculas iuris civilis,

qua-



quarum defensione sollertia eruditionem que *TVM*  
ostendere posses, demonstrasti. Ego vero vtor ista occasione  
tam suauit, et de profectibus *TVIS* in vitaque iuris scien-  
tia *TIBI* congratulandi, et dignum eruditione et virtute  
*TVA* locum, e quo non *TIBI* soli, sed patriae natus confi-  
ciaris, precandi. Quorum votorum facile damnas ero, si  
Deus *TIBI* et litteris, quin miki etiam et bonis omnibus  
sospitem atque incolumen praefat Perillustrem *TVVM*  
Patronum, de cuius in *TE* beneficiis, quia animum.  
Eius vere magnum mira in tribuendo gratia prodidit, cre-  
berrima *TVA* et gratissima me saepe delectauit commemo-  
ratio. Vale, **VIR CARISSIME DOCTISSIME**  
que, et defende exiguum hunc libellum fortiter, ne tutela,  
cui commissus est, plane indignus videatur; me autem, quod fu-  
cis, ama! Scr. Lipsiae Prid. Id. Decembr. an. CICIO CCLXVII

OO A 6448

ULB Halle  
002 928 140

3







V A R I A E  
I V R I S C I V I L I S  
O B S E R V A T I O N E S

I L L . I C T O R V M O R D I N I S  
A V C T O R I T A T E

P R A E S I D E

I O H . T H E O P H I L O S E G E R O  
I V R I S S C I E N T I A E E T P H I L O S O P H I A E D O C T O R E  
T I T V L O R V M D E V . S . E T R . I . A N T E C E S S O R E  
O R D I N A R I O C O L L E G I I I . C T O R V M  
S O D A L I

A . D . X V I I I . D E C . A N . M D C C L X V I I

H . L . Q . C

D E F E N D E T

I A C . G V L I E L M V S C O N S T A N T I N . Z I E G R A  
H O H E N S T E I N A - M I S N I C V S

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A